


Theologia polemica.




Fest. 4885

*Bobola Joannis: Ad orationem An-
dreae Volani - Responsio,*

p. h. et a.

Biblioteka Jagiellońska.



VI. b. 308.



5121

CIMELIA

A
L
R

AD ORATIONEM
ANDREAE VO
LANI. QVA ET ER
RORES, IN ECCLESIA
ROMANA, SI DIIS PLACET, RE
PREHENDIT, ET PONTIFICEM AD
deserendum pontificatum adhortatur,
IOANNIS BOBOLA, in Academia
Vilnensi SOCIETATIS IESV
Studiofi.

RESPONSIO.

Si pergit quæ vult dicere, ea quæ non
vult audiet. Terent. in Andr.

Am. G. 572.

BIBLIOTHECA UNIV.



JAGELLONICAR

EPIGRAMMA IN VOLANVM.

NÆ Volane sapi, Lechias mugitibus Arctos
 Est tremosa tauris, grande referisq; opus.
 Grandius ut referas, maiora senilibus audes
 Risibus, Ausonidum nunc & in astra boas.
 Quin & Apostolicam tumidis euertere sedem
 Cornibus ag grederis; fers quid at inde? 1670.
 Ut planus inficias, iuuenis generose IOANNES
 BOBOLA, qua fandi clarus es arte, probes.

ALIVD.

Dum nequit annisu Bos iste volaticus omni
 A grege peruigiles terrificare canes.
 Pastorem ag greditur, sub cuilla pelle, supremum;
 Vox Acherontæcum scd monet esse bouem.

ALIVD.

EGregiam verò rem vano Volane si ades
 Pape, Christisoni cui data cura gregis.
 Vis Ecclesie opus in Turcica fundat ut arma.
 Vis dicam quid sis? officiosus homo es.
 Vis Pastoris ut officio sese ab licet idem:
 Vis dicam quid sis? ne vicio/us homo es:
 Quid Sygii queat esse lupi optatus oro?
 Quam ut Pastore carens erret ouile Dei.

Gratianus Gymnicus
 Vildentius.



pis m
 de ac
 uio e
 re, it
 futis,
 bare
 quam
 que tu
 fcit te
 thang
 plisses
 fuisset
 stem
 certur
 tamen
 satisf
 mum
 mares
 cupid
 lienæ

AD ORATIONEM ANDRÆ VOLANI RESPON-
SIO IOANNIS BOBOLA.



Tane vero Volane nomine Pontificis Romani ad nugas & ineptias abuteris tuas? non te aut humilitas tua ad modestiam, aut tanti principis maiestas ad venerationem reuocabit? perinde ac si tibi negotium cum tuo Matthia aut Popouio esset, & nō cum summo totius Ecclesie pastore, ita quidquid in hanc uenerit, blateras, effutis, euomis. An Hæreticum te esse aliter probare non potuisti, nisi Ecclesie moderatorē tanquam ludicrum aliquod tibi proponeres, in eumque tua impura maledicta coniceres? At quis nescit te fidelissimum ad perniciem multorum, Sathang administrum esse. Vt nihil eiusmodi scripsisses, satis hoc omnibus testatum ac exploratum fuisse, te patrię facem esse, religionis hostem, pestem omnibus bonis fugiendam. An cum à tuis certum eo nomine stipendium accipias, ut aliqd tamen scriberes, idcirco ut officio tuo utcumque satisfacere uidereris, eam materiam tibi potissimum delegisti, ut in summum pontificem declamares & debaccharere? At enim ita te quasi cupidum esse oportebat, ut tamen meminisses alienę tibi existimationi ac dignitati consulendū

esse. Illud profecto est, materiam eiusmodi que-
rebas, in qua & eloquentiam tuam ostentares, &
quod tuis te debere videbas, exolueres. At certe si
te tanta cupido vanę glorię incessit, alia materies
tibi nõ defuisset, in qua & puerilem tuam dicēdi
facultatē exercere, & id quod tibi propositū erat
officiū, persolvere potuisses. Si paulo' diligen-
tius omnia circumspexisses, ipsi etiam tui, eam
quā que rebas materiā, non difficulter tibi suppe-
ditassent. An ignorabas proximis hęc temporis
bus Stanislaum Sudrouium indignissima morte
vobis ereptū esse? Quomodo Volane triumphare
potuisses? si in funus magni illius viri funebrem
conscripsisses laudationem. Dignus erat profes-
cto ille homo, cui virtutis testimonium a te
daretur. Ille lumen erat vestri Euangelij: firma-
mentum cętus, mors terrorq; Papistarum: in cui-
us ore suavis illa quiduis dicendi libertas, & mē-
tendi libido residebat. Nullus fingere aptius, mē-
tiri impudentius, Catholicos traducere scientius,
vnquam poterat aut nouerat. Quantum autem
dicendi campū habuisses, si mirā illam metamor-
phosin fuisses aggressus! quod is qui antea ma-
lificos quęstionibus subijcere, latrones ex vrbi-
bus pellere, fures in crucem agere, capitis pena
damnatos scienter plectere cōsuesset, is derepēte
vestri

Laudes Sta-
nislai Szud-
rowij.

uestri Vangelij præclarus buccinator extiterit.
Quis tantam mutationem non obstupesceret?
quis arcana consilia Dei nõ admiraretur? Iam &
exitum ipsius genusque mortis luctuosum, Tra-
gicè deplorare potuisses: & vt es eloquens, omni-
bus tuis lachrymas profectò excussisses: cum rea-
cordarentur, quam indigna morte ex sinu vestro
ante tempus abreptus esset, vir longa memoria
dignissimus: cum secum varios euentus reputa-
rent, diligentiusq; perpenderent, quàm sepe te-
merè & præter voluntatem nostram multa eue-
niant: vt qui venenum propinando, mortem al-
teri machinetur, idem ipse incautius sumendo,
incidat in fraudem, & perniciem sibi accersat sè-
piternam. O spes fallaces, o incertę cogitationes
nostre. Ad eamne rem seruatum esse Sudrouiũ,
vt mulierculæ vel malevolentia, vel impruden-
tia, vel vlciscendæ iniuriæ cupiditate tam miserè
animam efflaret? Hem quo res rediit. Cui hostes
etiam ipsi propter virtutem & dicendi cõpiam per-
percissent, huic a sua vxore & domesticis quæsi-
ta est perniciem. Hæc si tu Volane vt dixi tracta-
re inceperis, quantam laudem eloquentiæ nunc
haberes! nullus esset qui hanc laudationem tuã
non cupidissimè legeret: gratias ageret etiam,
quod tanti viri memoriam ad posteritatem trãse-
mittendam

mittendam existimasti. Nunquid non optimum
tibi consilium de Volane? nonne in eiusmodi re-
bus eloquentiam tuam excurrere præstabat, quã
ad officium, Romanum Pontificem adhortari? Il-
lud enim quis tibi vitio vertisset? quis non potius
summis extulisset laudibus? ex hoc autẽ quid
retuleris commodi, non video, nisi vt illud verẽ
in te posset dici, quod Annibal dixit de Philoso-
pho quodam Phormione, multos quidem deliros
senes hæctenus fuisse, qui magis Volano delira-
ret, visum esse neminem. Quid enim ineptius,
quid loquacius, quam cum virum cuius prudenti-
tia ac integritas vitæ, & domi, & foris cognitasẽ-
per est, admoneri officij ab eo, cuius nullum mo-
mentum vnquam fuit, qui est vita turpis, fortu-
na egens, existimatione damnatus, impudentia
atq; audacia fretus: qui nisi assentari in animum
induxisset, & hoc nomine stipendium a suis acci-
peret, rei domesticæ angustiis illi pereundum es-
set. Sus Mineruam Volane. Iam est hoc ultra
crepidam. Non eget Aldebrandinus consilio
tuo: scit quid Deo, quid Ecclesiæ, quid sibi, quid
subiectis populis debeat: tuum est in cœtu grega-
lium tuorũ, de Mamzeris vtrũ sacro fonte lauã-
di sint, aut de Ministris quomodo illorum egestas
subleuanda sit disputare, non principibus præ-
scribere.

Dotes Volani

scribere, quomodo se in officio suo gerere debeant. Quanto rectius fecisses volane, si quæ sit ratio ceruisiæ conficiendæ, Pontifici consilium dedisses. Nam ad illa quidem quæ tu impudenter ingerebas, opera tua non indignuit, in eo quod dixi, tibi tanquam non malo auctori, fortasse obtemperasset. Nam aiunt eum, quo tempore in Polonia ceruisia uti cœpit, ita deinceps hoc genere potionis delectatum fuisse, ut etiam nunc eos qui Romæ bonam possint ceruisiam coquere, ex Polonia ad se mitti petierit. Cum igitur tuæ familiæ Volane hoc proprium semper fuerit, ut bonam ceruisiam pararet, ea quæ laus ab auis, proavis; atavis, patri tuo cui quippe Lwowkowiensi, quæ si per manus tradita sit, non parum de Pontifice meritis fuisses, si eum hac in re consilio iuisses tuo, si minus aliquem ex familia tua ad eum mittere voluisses. Quid Volane ad ceruisiæ mentionem exalbescis? quid tumultuaris? Num fingo aliquid? aude saltem negare, conuincam si negas. sed si me audies, parcius de illis tuis cognatis nobilibus, quos interdum iactare soles loqueris. Noli esse ingratus in patriam tuam, quæ te protulit, aluit, edueauit: sis an non donatus nobilitate, nescio (quanquam quodnam ob meritum tuum) illud certè negare non debes, te Lwoweci natum esse.

Genus & familia Volanti

esse, ibiq; patrem te non vulgaris ceruisiæ con-
ctorem habuisse. Sed nolo tibi esse molestus: iam
pridem enim tacita tua existimatio mihi oblo-
quitur, & videtur velle vt taceam. Morem
geram voluntati tuæ, & si quid dixi, commo-
tus indignitate dixi. Nam ingens flagitium
mihi videtur Pontificem Romanum à te potis-
simum delectum esse, cum quo veluti cum
puero nugarere. Illud enim restabat, vt tu nouus
videlicet Bernardus prodeas, qui Eugenios nobis
informes, ad melioremq; frugem adhorteris. Vbi
nobis hæc autoritas tanta tam diu latuit? cur
in iustis & helluationibus tam eximia virtustã
diu cessauit? Ab ipso polo arctico accersendus
erat nouus Pontifici monitor, qui eum aliquid
sapere doceret. Iam tu Bernarde præ nostro Vol-
lano nihil es: tu enim ad perfectionem vitæ, con-
templationisq; studium adhortaris, vitia nonnul-
la, quæ irrepere nonnunquam necesse est, reser-
uanda esse doces: cæterum doctrinam non conde-
mnas, quin tanquã inferiorem & filium te agnos-
cis, in cuiusq; pastoris te semper potestate esse ostē-
dis. Noster Volanus non in Gallia, vbi tu floret
bas, sed inter vrsos tantam hausit sapientiam, vt
illi in Ecclesia Romana nihil placeat. Omnia
errores vocat, monstra, tenebras. Quod si ver-
rum est,

rum est, te etiam Bernarde nobiscum errare oportet: Nam tu non aliud doces, non aliud credis, quàm quod hodie docet is quem sibi Volanus informandum suscepit Clemens octauus. O tempora, o mores. Hiccine tenebrio plus sapiet, quàm illud Ecclesiæ lumen Bernardus. Quid tibi Volane canicies, ac putridi dentes commodi attulerunt, si tam pueriliter ineptis? Iam illud Comici apud te locum non habet: Ad omnia ætate sapius rectius: tu enim ætate non sapis, sed desipis potius. Quid enim minus sapientis est, quàm eum suscipere laborem, ex quo nihil nisi risus ad te, & existimationis, si quam habuisti iactura, peruentura sit? Credidisti forsitan, si lucubratio tua in Italiam delata esset, aliquem ex magnis illis viris quos fert Italia excitatum iri, qui tuam istam libertatem & impudentiam in laceffendo reprimeret: futurumque existimasti, ut inde tibi aliquid laudis & existimationis accederet, quod etiam docti viri te dignum iudicent, cui aliquid respondeant. Sed quàm te ista tua fefellit opinio, iam fortasse ipse perspicias. Non dignabitur quisquam Volane tuas nugas refutare. Olim istud fuit, cum tu aliquid etiam esse videbaris; nunc cum te loquacem tantum grammaticum, & circumforaneum rabulam sciant, omnes derident, contemnunt,

Terent. in
Adelph.

B

aspernantur,

aspernantur. Nihil in te lupum infernalem, Mo-
Iossis opus est Volane, sufficient nostrates catu-
li; quorum tu vim iam non semel expertus es:
quibus rectè monentibus si auscultare velis, non
faceffes negotium amplius, imperabis tibi vt
aliquando tandem quiescas, neq; te commoueas.
Quorsum enim ista tibi odia, & puerilis scientiæ
ostentatio? Iam satis de Euangelio tuo meri-
tus es: ostendisti quid posses dicendo: plus præ-
stitisti, quam erat a te expectandum: tempus est
igitur, vt aliquando tibi consulas, & id quod su-
perest ætatis, tanquam emeritus in ocio & tran-
quillitate transigas. Sed ego stultè facio, qui tibi
istud consilij do. Tu enim rectè monentem non
audis: Pontificem petis: aditum ad reliquam or-
rationem tibi paras: vt eo liberius conuicia iace-
re, & impuritates euomere possis. Negas te Pon-
tifici assentari velle, vt hi faciunt, qui eum pasto-
rem Ecclesiæ, ianitorem cœli, laxatorem crimin-
um, appellant. Quæ tanta integritas in Volano
est, vt Pontifici adulari nolit, qui proceribus sui
Euangelij, a quibus se aliquid abrasurum sperat
turpiter lenocinari non dubitet? Ita istis noui
Euangelij præconibus indignum facinus videri
tur, si quispiam veris & sibi debitis nominibus
appelletur. Scelus est & blasphemia vocare
Romanum.

Romanum præfulem caput Ecclesiæ, at nullum
est piaculum, quin potius ipsa veritas, ex eorum
Euangelio petita, Anglicanam mulierem Ecclesiæ
Dei, cum summa potestate præesse: omnia quæ
in fide dubia & cōtrouersa sunt, definire debere:
vt quæ ex imperio D. Pauli in Ecclesia tacere
debuisset, hæc quid alijs etiã credendum sit præ-
scribat & proponat. O pudor vbi es. Eone pro-
lapsam esse hominum temeritatem, vt malint
turpiter subesse mulieri, quàm aliquid veritati
concedere: mulieri inquam cuius (vt nihil gra-
uius in eam dicam, quàm quod omnibus notum
est) cuius inquam libido ita peruulgata est, vt
cum nupta sit nulli; sit tamē proposita omnibus,
contra ius ac fas, contra omnes diuinas atq; hu-
manas religiones. Non est quod nobis obijcias
Volane, cum tuis gregalibus mulierem Papam;
quam vos fabulam ab authore, nunc demum post
tot sæcula nato, mutuati, per summam impuden-
tiam hominibus persuadere conamini: quod ta-
men etiamsi omnes omnia vestra ingenia confe-
ratis, nunquam perficietis: non est inquam, quod
nobis obgannias: ecce vester Anglicanus Papa,
sexu mulier, vitæ genere scortum, immanitate
bellua. Num tibi videor principes carpere &
incessere maledictis? Quid tibi licebit in Pontis

Papissa Euan-
gelica.

Quidni ita sit,
cum Euan-
geli doceant,
castitatem esse
impossibilem

dicere, quidquid collibuerit, ego de tua muliere
non dicam, id quod verum est, quodque tu ipse nisi
plane impudens sis, negare non potes? quanquam
quomodo illa principatum obtinet, quæ nullam
iure in suos, ex eo tempore, quo illi tota per Ec-
clesiæ pastorem abrogata est, habet potestatem?
Sed reliqua videamus. Tam præclaro orationis
tuæ vestibulo Volane extracto, ad reliquam di-
ctionem sensim accedis, demonstrasque quid in
orationis progressu facturus sis, cum statim in
tuo ipso tam turpiter mentiris. Ais enim Pontifi-
ces Romanos, nunquam in alios Episcopos potes-
tatem assequi potuisse; licet hoc totis viribus
contendissent: alios nunc paulatim iugum excu-
tere, alios ne excutiant præmijs & muneribus
detineri, denique eorum rem rediisse, ut si imperant
precariorum duntaxat imperare videantur. Non
pudet vanitatis Volane? ita tibi mentiri religio
non est. Audebis tu negare Præsules Romanos
multis Episcopis in suos potestatem abrogasse: de
sede deturbasse: alios in eorum locum suffecisse?
Inficiaberis in grauiissimis sæpè cum Ecclesiæ
totius, tum aliorum Episcoporum periculis vel
iniurijs, ad Pontificem esse prouocatum? Perfris-
cabis frontem, & dices, conuocare concilia, eaque
approbare alterius cuiusuis quam Romani esse
Episcopi?

Quæ a
næ in
memo
tus eu
bit
rum, &
toto o
statè il
nies El
Antim
lychro
scopo
suum A
tanum
nodo
Pontif
occur
manã
esse on
Basilii
cretum
sunt,
prianu
caput
vice C
Ambr

Quæ autem maiora possunt esse argumenta, sum-
mæ in Ecclesia potestatis, quàm hæc quæ com-
memoravi? quæ si tu concedis, causã tuã peni-
tus euertis, si negas tota tibi antiquitas reclama-
bit. Replica memoriam superiorum tempo-
rum, & videbis non opes Romani Pontificis, alijs
toto orbe Episcopis formidabiles fuisse, sed poter-
statẽ illam quã à Christo in Petro accepit. Inue-
nies Flavianũ Patriarchã Antiochenũ à Damaso Theodor. lib.
histor. cap 27.
Antimum Constantinopolitanũ ab Agapeto, Po-
lychroniũ Hierosolymitanũ à Sixto Zonar. in vi-
ta Iustiniani. ter-
ticio Epi-
scopo Romano, depositũ fuisse: reperies Athana-
sium Alexandrinum, Paulum Constantinopoli-
tanum, Marcellum Ancyranum Episcopos, à Sy-
nodo orientali depositos, autoritate Iulij primi Zozom. lib.
3. cap 7.
Pontificis Romani in suas sedes restitutos esse:
occurreret tibi Irenæus, & diceret, ad Ecclesiam Ro-
manã propter potentiorẽ principalitatẽ, necesse
esse omnẽ conuenire Ecclesiam: obstruet os tibi
Basilius, qui Pontificem Romanum iudicij sui de-
cretum interponere, quaq; Arimini violentẽ acta Epist. 52. ad
Athanasium.
sunt, rescindere debere asserit: docebit te Cy-
prius Hæreses non aliunde nasci, quàm quod Lib. 1. Epist.
3. ad Cornel.
caput non quæritur, nec vnus ad tempus iudex
vice Christi cogitatur: pronuntiabit contra te
Ambrosius, domum Dei Ecclesiam esse, eiusq; In cap 3. 1. ad
Timoth.
rectorem.

Epistola ad
Damafum.
Epistola 162.

Lib. 2 de
Consider.

Euseb. lib. 5
hisor. cap 24

rectorem esse Damafum : condemnabunt te illa
duo Ecclesiæ firmamenta Hieronymus & Augus-
stinus, quorum ille præbyter Antiochenus cum
esset, se tamen ouem Pontificis Romani agnos-
scit, hic in Romana semper Ecclesia Apostolicæ
Cathedræ viguisse principatum confitetur : Ber-
nardus verò tuus, cuius in oratione tua meministi,
totam causam tuam euertet, cum Eugenium
Romanum, sacerdotem magnum, summum Pon-
tificem, principem Episcoporum, hæredem
Apostolorum, potestate Petrum, ianitorem cœli,
(quod tu disertè negas) appellat. Videtne iam
Volane, non opibus niti Ecclesiam Romanam,
sed ea potius, quam à Christo accepit potestate.
Quæso te Volane, quæ fuerunt opes Victoris
primi Papæ, cum Asianos omnes, pascha decima
quarta die primi mensis cum Iudæis celebrantes,
excommunicauit, circa annum Domini 190.
Certè tunc Constantinus, nondum natus erat, à
quo Ecclesia Romana opes istas accepit. At enim
Irenæus obiurgauit Victorem. Esto sanè. Exi-
stimabat enim (falso licet) Ecclesias à Victore
inutiliter perturbatas esse; sed tamen Victor non
idcirco sententiam mutauit: neque illi qui excom-
municati sunt, contra edictum facere aliquid ausi
sunt; quod tamen procul dubio fecissent, si Vi-
ctori

ctori
sent: S
est ve
tua hæ
runt: r
ostend
clesiæ
sed act
Io meli
enim v
toties a
uolant
sponsu
recoqu
Tædet
Volane
alio fat
cipes, M
nimè m
Christi
tenus d
gnam t
etiam si
sibi non
parte à
diuina

etori se non subiectos esse iure diuino intellexis-
sent: Sed quid ego tecum de his rebus ago: vetus
est vestra ista cantilena: amando te ad eos, qui
tua hæc commenta accuratius iam pridem refuta-
runt: nec mihi difficile esset hoc ipsum facere, &
ostendere, tum ex diuino iure, tum ex ipsa Ec-
clesiæ consuetudine, quàm ineptus nugator sis,
sed actum, aiunt, ne agas, cum præsertim tu nihil
lo melior, aut pudentior ea re sis futurus. Estis
enim vos tanquam importunæ illæ muscæ, quæ
toties abactæ & repulsæ flabello, identidem re-
uolant. Quoties vobis ad ea quæ obijcitis re-
sponsū est: nihilominus tamen eandem cramben
recoquitis, eamque nobis importunè ingeritis.
Tædet audire eadem millies, noui aliquid profer-
Volare, & abundè tibi vel à me, vel à quopiam
alio satisfiet. Quòd autem miraris, cur alij Prin-
cipes, Pontificis iugum non excutiant, ego mi-
nimè miror. Malunt enim nobiscum esse oues
Christi, quam tecum hædi Diaboli. Sciunt quæ
tenus debeat sua progredi potestas, satisque ma-
gnam se habere in suos auctoritatem vident,
etiã si per summam iniuriam, spirituale regimen
sibi non vsurpent: quod vt faciant, pro vestra
parte à vobis strenuè laboratur: qui vt omnia
diuina & humana iura peruertatis, plus Principi-
pibus.

pibus Politicis permittitis, quàm illis à Christo concessum est. Iam quod tu de polluto cultu Dei, deq; multitudine Deorum inuecta prolixè dixisti, eodem modo quo superiora refelli potest, nempe hoc totum impudens mendacium esse. Nam neq; nos cultum DEO proprium vlli rei creatæ tribuimus, neq; sanctos in Deorum loco habemus: sed & à Deo petendam esse gratiam, salutem, gloriam, cæteraq; omnia, quæ ad vitam rectè traducendam sunt necessaria, docemus: & eos qui cum Christo in cælo æuo fruuntur sempiterno, tanquam amicos Dei coniunctissimos veneramur: illorum precibus apud Deum & Patrem communem, iuuari nos credimus & postulamus. Quæ cum recta fide pugnare, doce Volane si potes, & tunc habebis quod reprehendas; sed nunquam id facies, ne si crepes quidem: nisi fortè illas vestras protritas iam & obsoletas proferas ratiunculas: quæ millies refutatæ, ipsis etiam pueris iam ridiculæ sunt. Iam quod de imperio matris in filium dicis, deq; eo, quod Virgo Deipara vitia delere dicatur, planè ostendis in eo ipso, te hæreticum esse. Quid enim Apostolus de istiusmodi hominum genere dicit? nempe superbum esse, nihil scire, sed languere tantum circa quæstiones & pugnas verborum. Nam

1 ad Timot. 6.

Volane,

Volane
re?
frigi
lang
sin a
habe
impe
nisi i
vt ip
grat
pecc
conr
aliud
re?
test
blas
meri
Qua
spec
mod
quar
vide
doce
sed
omn
clesi

Volane quæso te, de verbis disputamus an de
re? Si syllabas tantum aucuparis, & in ieiuna ac
frigida verborum calumniam delitescis, eo ipso
langues circa quæstiones & pugnas verborum:
sin autem ad rem attendis, iam nihil contra nos
habes. Nullus enim Catholicorum alio modo
imperari filio, aut deleri vitia à B. Virgine dicit,
nisi illo communi, impetrando nimirum à Christo,
vt ipse per merita acerbissimæ suæ passionis,
gratiam homini conferat, & veniam tribuat
peccatorum. An non Paulus quoque dicit, se Rom. 15.
conuicti, vt aliquos ex Iudæis saluos faciat? Quid
aliud autem est, saluum facere, quàm vitia dele-
re? An quisquam non deletis vitijs saluus esse po-
test? Igitur tu quoque Paulum reprehendes, & eum
blasphemum esse dices, quod remotis CHRISTI
meritis, salutem aliunde sperandam esse dicat.
Quanquam quod ad totum hoc genus loquendi
spectat, nescio, an quisquam Catholicorum eo
modo loquatur, & si loquitur, non tam verba,
quàm intentio spectanda est. Simul & illud
videndum est Volane, aliud esse quod Ecclesia
doceat, aliud quod priuatim aliquis, pie quidem,
sed non secundum scientiam vsurpet: Neque enim
omnia, quæ quispiam imperite dicit, aut ab Ec-
clesia probantur, aut ei fraudi esse debent. Sed

C

ego

ego non habebō tibi istum honorem, vt offiatim
ad singulas tuas ineptias respondeam: breuiter &
strictim, quoniam huc incidi nonnulla attingam.
Itaq; nos nec idola colimus, vt tu impudenter nos
bis affingis, sed Deum per imaginem adoramus,
nec superstitione nos obligamus, cum in hono-
rem Dei tabellas ex voto nuncupato, appendi-
mus: sed Dei beneficiorum grati sumus, testa-
murq; apud omnes, Dei & misericordiam in dur-
bijs casibus semper præsto esse, atq; ob eam cau-
sam illi ab omnibus gratiasagi oportere. At
enim merita Christi & passionem ipsius abole-
mus, cum affirmamus eniti nos ad salutem posse.
At hoc totum vanissimum est Volane. Nam
nos multo plus meritis Christi & gratiæ tribui-
mus quam vos, illudq; constanter affirmamus,
soliū Christi sanguine nos redemptos esse, neq;
esse vllum nomen sub cælo, in quo nos saluos fieri
oporteat. Neq; tamen dicimus hominem
stipitem esse debere, vt tuus Euangelista facit
Lutherus, cum liberum arbitrium esse de solo ti-
tulo contendit. Neq; vero etiam præcipue
spem in meritis & operibus nostris, sed in mise-
ricordia Dei, à qua bona opera nostra profluunt
collocamus. Scimus non esse nos sufficientes
cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed suffi-
cientiam

Artic. 36.

2a Cor. 3.

cientiam
ra q
Deo
aut
qui
& t
omn
ber
Vol
qua
ria
rena
tant
ptan
non
tur
seue
iustu
pecc
O p
fruct
prof
acqu
mo
li su
Dei

cientiam nostram ex Deo esse : & tamen ea opera
 ra quæ gratia Dei exornati facimus, grata esse
 Deo non dubitamus. Hoc enim non à Volano,
 aut à quopiam simili didicimus, sed à D. Paulo;
 qui se cum gratia Dei simul operari fatebatur :
 & tum sibi repositam coronam iustitiæ, tum
 omni operanti bonum, gloriam & honorem de
 heri affirmabat. Sed in iusticia à vobis conficta
 Volane, quàm multa sunt, o Deus bone vulnera,
 quæ monstra, quæ in Deum blasphemia & iniu
 ria ! hominem per gratiam Dei non sanari : in
 renatis per baptismum non deleri peccatum, sed
 tantum tegi : hominis voluntatem ita esse corru
 ptam, vt in omni etiam opere bono peccet : fieri
 non posse, vt quis præcepta diuina vnquã exequa
 tur : quãuis flagitiosus sis, & in cæno scelerũ per
 seuerare decreueris, dummodo credas, eo ipso
 iustum te & filium Dei esse : Deum causam esse
 peccati, vt voluntas eius in reprobatis impleatur.
 O præclaram doctrinã : O dignos talí Euangelio
 fructus. Quid ergo nobis Christi passio Volane
 profuit, si post baptismum & iustificationem,
 æque sumus in peccatis atq; olim fuimus ? Quo
 modo filius Dei verè nos liberauit, si serui diabo
 li sumus existentes in peccato ? quomodo filius
 Dei venit in hoc, vt destrueret opera diaboli ?

1. Cor. 15.

2. Tim. 4.

Rom. 2.

Luth. art. 30
 32 36 Cal
 uin. 3. Instit.
 cap. 14 Num.
 9. & cap. 17.
 Numer. 3.

Lut. in Asser.
 artic. 36. &
 Caluin. Instit.
 cap. 18. &
 lib. 3. cap. 3.

Ioan 8.

1. Ioan. 3.

C ij

quomodo

Michæ 7. quomodo proiecta sunt in profundum maris
Ioan. 1. omnia peccata nostra? quomodo Agnus Dei
Rom. 5. tollit peccata mundi? quomodo Paulus con-
clulit efficaciorẽ fuisse gratiam Christi quàm
peccatum Adæ, si per Adamum verè facti sumus
peccatores, per Christi vero gratiam tantum nos
bis non imputatur peccatum, etiamsi verè in nos
bis inhæreat. — Iam in altero & ignorantiam
vestram ostenditis, & cum diuinis literis apertis
simè pugnatis. Dicitis vires animæ corruptas esse,
nihilq; boni nos facere posse: quorum primum
quidem dicere stultissimum est, cum anime nihil,
quod ad naturam ipsius pertinet, per peccatum
2. Pet. 1. decedat, in altero vos S. Petrus condemnat, cum
electionem nostram & vocationem per bona
opera certam faciendo, nos non peccaturos pro-
Matth. 28. nunciat. — Et alioqui quomodo Christi testimo-
nio bonum opus operata est Magdalena? quo-
Actor. 9. modo Tabitha plena fuit operibus bonis? quo-
2. ad Tim. 4. modo D. Paulus bonum certamen certauit? quo-
Lucæ 8. modo aliqui in corde bono & optimo audientes,
verbum retinent, & fructum afferunt, in pati-
entia, si omnia opera nostra sunt ex se peccata?
Inunc igitur Volane, quò dignus es, & nos me-
ritis Christi detrahẽre contende, qui tam iniuri-
us in Christum fuisti, vt eum morte sua nos
sanare

maris
us Dei
s. con
i quã
sumus
im no
in no
antiam
pertis
as esse,
rimum
e nihil,
catum
t, cum
bona
s pro
stimo
quor
quor
quor
entes,
n pati
ccata
os me
niuris
a nos
anare

sanare non potuisse deblateres. — Dic neminem
in hac vita præceptis diuinis satisfacere posse : &
iniustitiam Deo impinge, quòd nobis ea mandet,
quæ impleri non possunt : contende cum Calui,
no tuo Deum non solum permittere peccata,
(quod verum est) sed etiam illa efficere in no
bis, quod piæ aures ferre non possunt — Huc
recidit illa vestra simulata sanctitas, qua nihil nisi
passionem Christi sermonibus vsurpare soletis :
negatis hominem ferendis præceptis parem esse
posse : quorsum hoc ? nimirum ut impunius pec
cetis : vt soluti omni cura & sollicitudine, de
eo non laboretis, quod fieri non potest : vt quid
quid prauè, nequiter, flagitiosè fiat à vobis, Deo
tribuatis : vt quandoquidem cuncta fatali neces
sitate, & ex voluntate Dei omnia ab æterno
determinante eueniunt, complicatis manibus fu
turum rei euentum expectetis — Et tamen vos
sancti estis, ita certi de salute vestra, ac si non in
terra in medijs periculis, sed in ipsis beatarum
mentium choris essetis — Stulti igitur fuerunt
sancti viri, qui cum metu & tremore salutem
suam operabantur : insaniebat Iob, qui omnia
opera sua verebatur : CHRISTUS ipse frustra
orandum esse præcepit, ne in tentationem indu
camur : soli isti sapientes sunt, qui defuncti iam
periculis.

Caluin. loco
citato.

Caluin. 2. In
stit. cap. 2.
Nu. mer. 7. &
lib. aduersus
Pighium.

Ad Philip. 2.

Iob. 9.

Matth. 6.

periculis ita sunt securi, ac si iam nihil esset am-
plius, quod eos à vita æterna auertere, aut etiam
retardare possit. Non degustarant Sancti viri
hanc nouam Volani Theologiam: non tam su-
perbè certos se de salutè sua clamabant: quin pot-
tius illud Dauidis habebāt in ore: Cōfite timore
tuo carnes meas, à iudicijs enim tuistimui. Cur
ita? quia cognoscebāt aliud esse iudiciū Dei, aliud
hominum; promissiones Dei certas semper esse,
sed tamen conditionem sibi appositam habere,
quam an vllus ritè seruet quis scire potest? Quo-
re cum omnia seruentur in futurum, credere
quidem certò de sua salute non audebant, freti
tamen bonitate & clementia Dei, eam spem
habebant, quæ non confundit. Verùm non satis
erat Volano idololatriæ Ecclesiã Romanam con-
demnare, non satis dicere iustitiam Christi à no-
bis exinanitam esse, etiam alia grauis auctor dicit
sibi displicere. Sacramenta penitus ait esse à
nobis prophanata: Quis magis prophanat Sacra-
menta Volane, nosne quibus Eucharistia est ip-
sum Christi Domini verum corpus & sanguis, an
vos, quibus cœna nihil est, nisi panis ex furno,
& vinum de cupa? nosne qui cum Apostolo dici-
mus, regenerari nos & renouari per aquam &
Spiritum Sanctum; baptisatos salutem consequi:
qui

Ad Titum 3.

Marci 16.

qui m
num:
dam e
institu
quis n
Petrus
aret,
vtrum
anima
baptis
in cur
præd
igitur
aliud
hil illi
hum
efficer
uino,
nis, a
præde
obsec
niū da
sunt:
minis
à Deo
nati.

ffet am
ut etiam
ncti viri
tam su
quin po
timore
Cur
ei, aliud
er esse,
habere,
Qua
credere
nt, freti
n spem
on satis
m con
ti à no
or dicit
t esse à
Sacra
est ip
uis, an
furno,
o dici
nam &
sequi:
qui

qui manducauerit hunc panem viuere in æter^{no} Ioan. 6.
num: an vos qui tantum Sacramenta sigilla quæ
dam esse dicitis, ad excitandam fidem à Christo
instituta? Quod quàm ineptum & insulsum sit
quis non videt? Nam peto à te Volane, cum D.
Petrus tria illa millia virorum aqua salutari expi
aret, aut cum Philippus Eunuchum baptisaret,
vtrum excitabat tunc fidem, an à peccatis verè
animam abluebat. Certè & illi, quos Petrus iussit
baptisari, iam tunc credebāt, & Eunuchus adhuc
in curru sedens, Christum verū esse Messiam ex
prædicatione Philippi cognouerat. Quorsum
igitur fuit illa excitatio? Sanè, si nihil faciunt
aliud Sacramenta, nisi alunt & excitant fidem, ni
hil illis prorsus fuit, cum hoc longè melius verū
hum Dei, aut certè imagines aliqua expressæ,
efficere possent; nisi fortè tu dicas cum tuo Cal
uino, Sacramenta esse testimonia prædestinatio
nis, ad eam fidem alendam, qua homo credit se
prædestinatum esse. At si hoc ita est, quomodo
obsecro te, non frequenter Deus falsum testimo
niū dat, cū baptisantur illi qui prædestinati non
sunt? aut quomodo sine periculo cōferre potest
minister Sacramentum Baptismi, cum nesciat qui
à Deo ad vitam æternam electi sunt, & prædesti
nati. Sed ego nolo tecum prolixè agere, quod
initio

Actor. 2.

Actor. 3.

initio sum testatus Volane, illud ferre non pos-
sum, quòd tu Ceremonias baptismi ridiculas ap-
pellas. Si enim ridiculæ sunt, rideantur Apostoli,
à quibus institutæ sunt: rideatur tota Ecclesia,
quæ illis semper vsa est: Christus deniq; ipse ri-
deatur, qui & in Apostolos insufflauit, & cum v-
no verbo mutum ac surdum sanare potuisset,
sputum & alia adhibuit. Non placent Volano
Ceremoniæ: at placent Dionysio Areopagita,
Clementi Romano, Iustino, Augustino, Ambrosio,
Cyrillo, & alijs Sanctis Patribus, quibuscum
errare malo, si tamẽ hoc fieri potest, quam tecum
Volane & cū tuis Symmistis benè sentire. Sed
iam inter scopulosas cotes incipit oratio tua na-
uigare. Exagitas rancidas, vt verbo tuo vtar,
Scholasticorum quæstiones de Sacramento Eu-
charistiæ: ad quod ego tibi vno verbo respõdeo
Volane, te tantum de scholasticorum disputatio-
nibus iudicare posse, quantum lupus de astris, aut
capra de pipere: Non sunt ista ingenij tui: præ-
clare tecum agitur, si quidpiam de succo Caluini
& energia illa percipere possis. Nam vt penitus
Caluinum intelligas, qui tanquam Proteus in va-
rias se formas transmutans, fucum facit incautis,
non possum mihi persuadere. Quapropter missa
isthæc facito Volane: quam quisq; nouit artem;
in hac

Quantus The-
ologus Vo-
lanus.

in hac se exerceat monet bonus Poeta. — Nam si
verum est, quod vestrae farinae homo Stancarus
scriptum reliquit, si centum Lutheri, ducenti
Melanchtones, trecenti Bullingeri, quadringenti
Petri martyres, quingenti Caluini, simul in vno
mortario contunderentur, vix ex eis vna vncia
verae Theologiae exprimi posset, quid te futurum
est, qui neutiquam es cum illis comparandus?
Nam in illis cuiusquemodi fuerunt, fuit ingeniu-
m, fuit doctrina, fuit multarum rerum cognitio,
quam in Papatu, vt vos dicitis hauserant. At in te
quid tandem est horum? si vnam aut alteram pe-
riodum latine vtcunq; scribere possis, egregie te
doctum arbitraris. — Quare totam istam rem
vtpote spinosam & retrusam omitte, & tamen
illud ex me intellige, Scholasticos quidem docto-
res de rebus dubijs inter se disceptare, sed de ijs
duntaxat, quae ab Ecclesia definitae non sunt, & de
quibus vniciq; liberum est opinari vt vult, ita
tamē, vt vbi primū Ecclesiae definitio accesserit,
vnusquisq; iudicium suum deserat, auctoritatem
Ecclesiae, quae falli non potest, amplectatur. Quod
longē secus est apud vos: apud quos, quot capita
tot sēsus. Nec Matthias Chrzostouio, nec Chrzos-
stouius Matthie, nec tu vtriq; tantillum concedis,
omnes spiritum quendam fanaticum crepatis, &

Lib. de Tri-
nitate & Me-
diatore.

D

caudis.

Iudicium 12,

caudis duntaxat more vulpium Samsonis colligati, capitibus autem diuisi, in cæteris omnibus hostiliter dissidetis, in id vnum conspiratis, vt sanæ doctrinæ messem, Pontificisq; Romani auctoritatē pessumdare possitis. Sed tamē pugna esse pergis Volane: clamasq; adulteratam esse à nobis cenam Christi, cum quod panis tantum sit, hoc nos verum Christi corpus esse cõtendamus: & simul illum inexpugnabilem arietem intorques, cum ita dicis: Christi corpus est in cœlo, igitur in altari esse non potest. Inepte homo, qui nos tuis potius nugis credere vis, quàm Christo ipsi, qui corpus illud suum fuisse, non panem, disertis verbis affirmavit. Etiam si modum non intelligerem, quo hæc fierent; tamen cum veritas ipsa dixerit, satis causæ habeo, cur me credere oporteat; quàm tecum ad illa monstrosa troporum præsidia confugere. — An Christo non superpetit modus, quo id quod pollicitus est perficiat? Potuit aquam in vinum transmutare, & non poterit ex pane corpus suum efficere? Ita ne vero angusta tibi videtur potentia Dei, vt ne hoc quidem possit, quod longè minus est, quàm multa alia, quæ firma fide credimus, & confitemur. — Neq; tu somnies Christum nos identidem de cælo deuocare. Nam ille quidem cœlum suscepit, vsq; in tempora

Actor. 3.

in tempora restitutionis omnium: neq; necesse est
vt locum mutet; neq; te in consilium vocabit, vt
hic & ibi, & in mille simul locis esse possit. Quare
aries ille tuus, quàm firmus fit vides: quem ta-
men vt aliquo modo fulcias, cum parum presidij
haberes in diuinis literis, Augustinum tibi de-
fensorem paras. Sed istud omen Deus auertat, vt
tibi tantus vir vel ad speciẽ suffragari videatur:
Quid igitur is ait? Quid paras inquit dentem:
crede & manducaſti. Ergo inquires vult Augusti-
nus, fide tantum manducari corpus Christi, non
re ipsa, ac proinde ibi non esse: ergo Volane ba-
culus est in angulo. Hoc enim inferendum erat
potius, quàm quod tu intulisti. Ne somniauit
quidẽ Augustinus hoc, quod tu illi per summam
maleuolentiam dicam, an ignorantiam affingis.
Sed cum D. Ioannes Euangelista, in illo sexto ca-
pitate triplicis panis mentionem faciat, & per pa-
nem, quem secundo loco ponit, Christum incar-
natũ intelligat, Augustinus de hoc pane loquẽs,
nihil esse opus dentibus asserit: Christi incarna-
tionem fide non dentibus edi oportere: ceterũ
de Eucharistia ibi ne verbum quidem. Necdum
enim Augustinus peruenerat ad illum locum, in
quo Euangelista incipit de Eucharistia tractare:
hoc namq; ab eo loco facit, vbi Christus panem
quem

Episto. 23 ad
Bonifacium.

Tomo 5. in
Psalm. 98.

Tomo 7. de
Baptismo
contra Do-
natistas lib.
5. cap. 8.

quem daturus erat pro mundi vita, carnem suam esse pronūciat. Sed tamen instas, & illud Augustini inculcas, Sacramenta similitudinem rerum habere, cæterum natura ac essentia esse penitus distincta: ac propterea malos non re, sed Sacramento tenus Corpus Christi manducare. Quod Augustini est Volane, tanquam verum accipio & agnosco, quod de tuo additum est, execror & ab dico: te q̄ vt falsum testem in iudicium voco, & fraudis accerso. Non enim in eo loco Augustinus dicit, Sacramenta aliam a rebus ipsis naturam habere: neq̄ dicit malos & indignè accedentes, Corpus Christi non percipere: quin disertè ait alibi, Christum, quam carnem ex Maria accepisset, & in qua hic in mūdo existēs ambulasset, eandem ipsam nobis manducandam ad salutem dedisse: malos & indignè sumentes, non idcirco nihil accipere, vt tu somnias, sed ipsum verum Christi corpus & sanguinem; quanquam non ad salutem, sed ad exitium sempiternum. Tua sunt igitur ista Volane, quæ addidisti, ex tuo infano cerebro deprompta. Illud enim vobis omnibus familiare est, vt ad fucum faciendum, obscuras aliquas & delumbatas sententias proferatis: n̄sq̄ ad vestros errores confirmandos abutamini: nō considerantes interim, quid S. Patres in mille locis

alij.

alijs, clarissimè de eadem re dicant. Verùm quid
de hoc loco Augustini, quem tu imperitè vr̄
ges sentiendum sit, remitto te ad eos, qui eum
accuratè tractarūt & explicarunt: inter ceteros
habes Bellarminum, & eum refelle si potes: sed
perinde facies, ac ille alter tuus amicus: qui cum
eundem Bellarminum sibi cōtradicentem ostendē
dere voluisset, perfecit, vt dum parturirent moni
tes, ridiculus nasceretur mus. Sapiens homo, non
minus quam tu, qui quid sit contradictio non in
telligat: & quæ apud doctos diuersa aut disparata
sunt, ea sibi ille contradicere existimet. Itaq; hoc
toto suo labore consecutus est, vt nemo librum
illum non modo refutatione, sed ne lectione quidē
dignum arbitretur. Sed ad curriculum reuo
cetur oratio. Maximū etiam ingenij tui acumen
ostendis Volane, cum vno quasi flatu sacrificium
altaris in Ecclesia conaris euertere. — Ita enim
ratiocinaris: Christus in cœna corpus suum dabit
Apostolis: nō igitur illi rursus Deo debent offerri
re, quod ipsis datū est, ac proinde nullū in Eccle
sia sacrificio locum esse. Hic illud Flacci optimè
in te dici potest; Spectatum admissi risum tene
atis amici. — Quis enim tibi hoc dederit Volane,
quæ accepimus à Deo, ea nos illi rursus offerre
non posse? Nonne omnia nostra à Deo sunt?

& tamen

& tamen vt vota faciamus, vt ea reddamus, vt ad
altare Dei cum muneribus accedamus, sacræ lite
ræ monent. — Eiusdem generis est illud, quod tu
de adoratione Eucharistiæ deblateras. Non mi
rum est, si tu nullum cœnæ tuæ habes honorem:
cum inter eam, & prophanum cibum, nullum sit
discrimen. At nostræ Eucharistiæ alia est ratio.
Nos scimus non panem, sed verum Deum ibi esse,
ideoq; illū debito honore & cultu prosequimur;
neq; expectamus, vt nouum aliquod nobis propo
natur ea de re præceptum: sed existimamus Deū
vbicūq; locorum sit, eum coli à nobis & adorari
oportere: cum præsertim diuinæ literę clament;
Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serui
es: nisi fortè tu tres illos magos idololatrias
dixeris, aut cæcum natum, aut complures alios,
qui non audito Christi præcepto eum suppli
citer venerati sunt: qui si rectè fecerunt, non
potes Catholicos idololatrias vocare, nisi illos
quoq; eodem crimine condemnes. Eundem enim
nos, quem illi Christum colimus & adoramus. —
Sed nullumne Volane blasphemiarum finem fa
cies? tunc tam fœdas ex orco erues quæstiones,
& incesto tuo ac spurcissimo ore, sacrum Christi
Corpus escā murium & tinearum vocabis? Non
metuis ne terra tibi dehiscat? Q Deus, quanta
est

est patientia tua ! Hiccine homulus, ex luto & argilla fictus Epicureus, scelere fretus & audacia, tibi insultabit ? Quinquaginta millia Betsamitarū, & eo amplius, interfecta sunt, quod parum castè Arcam testamenti aspexerunt ; at Volanus post tot impura in tuū corpus maledicta vivit : vivit ! imò vero magis ac magis furit. Veniet veniet, aliquando tempus, cū tu procacissimæ istius linguæ tuæ, pœnas dependes gravissimas. Non obliuiscitur Deus impietatis tuæ, sed habet rationem misericordiæ & patientiæ suæ. Idem est qui fuit ante, cum sceleratos homines, in momento ad æterna supplicia contrudebat. & qui modò te furentē tam benignè tolerat, quod ita & gloriæ suæ, & electorum saluti videt expedire. Verùm qui tam nefarius in Deum fuisti, nō mirum si hominibus etiam non parcis. Ais enim totam religionem & deuotionem nostram spectandis missis, audiendis tintinabulis contineri ; actores missarum ocio, libidine, luxu diffluere, spectatores porrò, paucis exceptis omnes lurcones, gaueones esse, nec quenquam ferè eorum esse frugi. Ain vero canis ? Siccine agis ? Itane omnes perditū & profligati tibi esse videmur ? Quis tibi hoc permisit veternose senex, vt in alienos seruos inquirereres ? Nonne si cadunt, domino suo cadunt ?

An non

**Horendum
facinus Mini-
stri Minscen.**

An non in vestro grege flagitiosi etiam reperiu-
tur? Excute diligenter Volane verbi tui minis-
tros, & videbis aut deteriores esse nostris, aut
certè illis neutiquam concedere. Nam quod isti
pauciores sint quàm illi, hoc non minuit impro-
bitatem eorum, sed paucitatem coarguit. Quis
enim ignorat in numerosa multitudine plures
malos esse oportere, quàm in paruo aliquo grege?
Ecquid simile tamè apud nos aliquando auditum
est eius, quod Minscensis ille vester prædicacans
designavit: quod quidem ego commemorare non
lo, & facile patior sileri, ne tanti facinoris atrocitas,
aut extitisse aut non vindicata esse videatur.
Ita vos festucam nobis eximere vultis, trabem
vero quæ in oculis vestris hæret negligitis: excor-
latis culicem, deglutitis camelum. Sed fac Vola-
ne malos esse complures, nunquid propterea ma-
la erit religio? num paucorum improbitas in ca-
pitalem fraudem vertet Ecclesiæ? An si tu pro-
pter quorundam tuorum flagitia doctrinam tuam
non condemnas, tam iniquus eris iudex, vt non
nullorum vitia, toti Ecclesiæ existimes nocere o-
portere? Quanquam & in hoc, maximum est in-
ter vtrosq; discrimen. Nos enim si quando pec-
camus, tamen non docemur, vt peccemus, at vos,
si doctrinæ vestræ conuenienter & consentaneè
vivere

viuere vultis, peccetis necesse est. Quod quidem
ego non difficulter ostendere possem, nisi aliò
properaret oratio. Nouimus quæ vestra doctrina
sit, & ex quo fonte manet, quæq; secum, si vobis
constare vultis, ferat incommoda: sed ea nunc
omitto, post si molestus fueris, commodius hoc
totum poterit explanari. Fac igitur memineris
Volane, paulò moderatius loqui, neq; nos omnes
lurcones aut ganeones appelles, ne videlicet iusta
indignatione commoti, iniuriarū tecum agamus,
à teq; vt ab improbissimo fure, & honoris nostri
scelestatissimo prædone, debitas reperamus pœnas.
Et certè si, pro magnitudine iniuriæ, proq; eo
quòd hæc cõtumelia est in omnes Catholicos, quos
tu vno spectatorum nomine vniuersos, paucis vi-
delicet exceptis complecteris; si inquam hæc om-
nes vindicarent, conflagrandū tibi miser Volane
inuidia esset: ego tamen odium hoc tibi conflare
nolo, & orationi meæ moderabor: habeo enim
rationem, non tam quid te dignū sit, quàm quid
me facere deceat. Verum vt maleuolentiã tuam
proderes, totam cleri culpam in Pontificem trans-
fers, contendisq; cælibatus inuectione fenestram
Sacerdotibus ad omnem nequitiam apertam esse.
Si hoc ita est Volane, certè nullus in cælibatu ca-
ste & pudicè viuere posset: & tamen hoc falsum
E est,

est, & in omnes etiam vestros, quibus necessario
interdum in hoc vitæ genere viuendum est iniur
riofum. Neminem cogit Pontifex ad calibem
vitam, sed si quisquam in clericorum ordinem
cooptari vult, hic caste viuatur necesse est. Volenti
autem vt scis non fit iniuria. Neq; vero est hoc
tam difficile, aut quod fieri nequeat, vt vos ho
mines carnales vobis persuasistis. Nam gratia Dei
præsto est semper, quæ ita roborat hominem, vt
nisi plane sibi deesse velit, non magnopere sit illi
pertimescendum. At infinita ista Sacerdotum
turba non placet. Credo Volane, tibi non placet,
qui ne vnum quidem tota Polonia velles esse: sed
placuit maioribus nostris, qui vt perpetuus Dei
cultus vigeret, collegia, monasteria, Sacerdotibus
religiosis hominibus ædificarunt, redditibus au
xerunt, immunitatibus exornarunt: neq; tamen
ob eam rem pauperes effecti sunt, sed cum in De
um liberales fuissent, perfecerunt, vt & angustam
suam Rempub. longè lateq; propagarent, & sibi
in futura vita amplissima præmia compararent.
Sed video quid agatis Volane: dolēt vobis oculi,
cum ista apud Sacerdotes potius, quàm apud vos
videatis. Malletis in his vxores vestras, atq; adeo
ministrorum vestrorum dominari, quàm Sacer
dotes qui Deo famulantur. Inde illud frequens
vobis in ore: Paulus laborauit, ne cuiquam one

ri esset : audio; sed idem D. Paulus ait etiam, qui
altari seruit, de altari viuat : & quod Apostolus
suapte voluntate & consilio fecit, non continuo
præcepti vim habere debet. Nā ego vicissī quaer
ram à te. Quare idem ministri non faciunt ? cur
ipsi manibus suis non laborant ? cur Euangelij
prædicandi causa varias non peragrant regiones ?
fecit hoc Petrus, fecit Paulus, fecerunt Apostoli:
hoc Euangelicorum esset proprium : sed vos no
men tantum iactatis, re autem ipsa Epicurei estis.
At videte quam pulchrè sapitis, (si hoc est sapere
re, & non se potius ridendos propinare) quid
quid arduū erat, quidquid laboriosum in Euan
gelio, id perinde ac si ad vos non pertineret, re
iecistis : contra, si quid erat, quod carnem dele
ctare posset, omnes ad id cupidè tanquam admisi
sarij adhinnistis. lubentur Apostoli inter gentes
Euangelium prædicare, & quidem sine pera &
calceamentis: deserunt domos, vxores, facultates,
fideles etiam initio nascentis Ecclesiæ omnia in
commune conferunt: nunquid hoc ministri vestri
faciunt Volane ? Sed dices fortassis, neq; vestri
faciunt. Esto sanè, sed neq; debent: non enim
sunt Euangelici, vt vos: nisi fortè tu dicas, hæc
iam antiquata esse, ac proinde nullū n̄s deinceps
teneri. At quis hoc spiritus vobis nunciauit, ista

non debere amplius in vsu versari: nonne vos
ad Euangelium, & ad verbum Dei purum, in quo
nihil est tale, prouocatis? Si licebit vobis quæ
dam vt abrogata non facere, & mihi multa alia
licebit omittere: An quod in vos æquum est, id
in nos iniquum videri debet? Hæc igitur vt dixi,
& similia, vestri ministri reijciunt: sunt enim
molesta & operosa. At cum legunt D. Paulum
facultatem habuisse mulierem sororem circum
ducendi, hui quàm omnibus istud arridet! pu
gnare se cum diuinis literis existimant, nisi sta
tim mulierculas sibi adiungant thori focias, id quod
ad rite ministerij munus obeundum pertinere
existimant. Quæ cum ita sint, rogant ac obsecrãt
te. Sacerdotes nostri Volane, ne bolum hunc,
quem habent maiorum pietate & munificentia,
ex ore sibi eripias, cum præsertim id ministris tui
is, per leges Euangelicas, vt vides, habere non li
ceat. Noli tam esse iniustus, vt cū multi vestrum
plura quàm aliqui ex illis habeant, etiam id quid
quid est, per te ereptum velis. Si illi otiosi sunt,
certè & tu nō video quid agas tantopere. Equè
tuos ego desides appellabo ministros, at quod vos nos
tros appellare consueftis Sacerdotes. Sed satis
de nugis Volane, jam reliqua tua videamus. Tan
dem enim reprehensa doctrina, probris & maledi
dictis

dictis iactatis, cum in corpus Christi impius, in Pontificem Romanum contumeliosus, in omnes Catholicos iniurius fuisses, ad exitum deducis orationem, atq; illa præclara adhortatione rem totam concludis: Pontificis esse omnem adhibere diligentiam, vt errores euellantur, abusus extirpentur, quæ fluxa sunt & dilapsa, seueritate disciplinæ vinciantur. Non habeo hic, quod reprehendam. Tuo enim iure postulas, vt quod perperam factum est, corrigatur, & in statum pristinum reuocetur. Sed mirum est tamen, te tam valde perspicacem esse, vt quos errores nemo nostrum ne suspicari quidem potest, tu tam acutissimè videas. An tu fortasse ipse cæcutis, & temulenti instar quæ recta sunt ex se, distorta esse iudicas? Ita planè fieri necesse est: nos enim istos errores, vt tu vocas, ab ipso fidei exordio habemus, perpetua Sanctorum virorum successione, per manus nobis traditos: quos tua causa non deseremus, sed potius, si quid humanitus acciderit, pro his vitâ profundere parati sumus. Tuum tamen esset Volane ad nostros aliquando Doctores venire, illosq; errorum, quos inculcabas Pontifici, coarguere. Cur id obsero non facis? cur amabo te proximè ab illis ad disputandum inuitatus, cum tota tua Synodo recusasti? nimirum intelligis

intelligis, aliud esse inter mulierculas & pocula,
garrere quidquid in buccam venerit; aliud cum
doctis negotium habere, vbi non verbis, sed re-
bus agitur, & vt in vanno, à frumento palea,
ita veritas à falsitate secernitur. — Verùm
hoc esset iterum tecum litigare; ego autem iam
tibi amicior esse vellem, quàm fui: illud mihi ta-
men molestum est, quod ais Pontificem Roma-
num nullam Ecclesiæ curam gerere: non docere
populum, non pascere verbo cõmissum sibi gre-
gem. Pace tua Volane dixerim, non rectè mihi de
rebus videris iudicare. — An tu curam Ecclesiæ,
sola prædicatione verbi contineri existimas?
Ecquis præsul est, qui totum ipse populum per
se docere possit? nonne satis est, vt id per alios
faciat? Quàm multi sunt Episcopi, quibus dicen-
di facultatem natura negauit, vel qui ita grauior-
ibus negotijs Ecclesiæ distinentur, vt populum
docere de loco superiori non possint! ergo illos
tu quoq; negabis esse Episcopos, clamabisq; eos
non ritè munere suo fungi? Quid? ille qui in
omnes Ecclesiæ partes intentus, dispicit quæ res
media vnicuiq; illarum adhiberi debeant: qui
iuuentutem suis sumptibus, ad Ecclesiæ vtilita-
tem, in varijs orbis partibus alit & sustentat: qui
iura describit: qui partes dissidentes componit:
qui

qui Principum Christianorum audit varijs de
 rebus postulata: qui gravissimos & prudentissimos viros ad diuersas regiones legat: qui hac
 inquam omnia facit, non satis tibi curam Ecclesie
 habere videtur? Aperite oculos Momi, & videte
 si vultis, quam multa Collegia Pontificum liberalitate excitata sunt: quam multa Seminaria
 constituta: non in Vrbe Roma tantum, non solum
 in hac nostra Polonia (quam precipuo quodam
 amore CLEMENS Octauus est complexus) non
 solum in istis Europæis, sed in illis etiam toto à
 nobis orbe disitis regionibus. Verum hoc est,
 quod vobis potissimum displicet: videtis enim
 hoc ad vestri Vangelij ruinam spectare, ideoq;
 iniquo fertis animo sumptus Ecclesie in id con-
 ferri. Quapropter illuc spectat, quod tu Volane
 Pontifici persuadere conaris, vt Pontificatu se
 vltro abdicet, & quo id fiat facilius, seuerum
 Dei iudicium ad terrorem proponis: tandem di-
 cis, si id fecerit, præclari operis imitationem: ad
 plures manaturam: In quo tu perinde facis atq;
 malefici & fures facere solent: quibus nihil op-
 tatius accidere posset, quam si nulli prorsus ma-
 gistratus essent. Ita enim fieret, vt ipsi impune
 peccarent, cum essent nulli, qui de ipsorum sce-
 leribus pœnas exigere possent, Sed heus tu Volan-
 ne, cur:

Oratio digna
Volano,

ne, cur non potius Romam is, & coram his de
rebus cum Pontifice agis? fortassis vt es disertus,
hominem permoueres: diceres enim. — Ego
Pontifex maxime, periculo salutis tuæ commo-
tus, ab ipso planè extremo orbe, ad te veni: non
me aut longinquitas itineris auocare, aut labor
fatigare, aut ingrauescens iam & exacta ætas re-
tardare potuit. Tantus in me tui seruandi ardor
fuit: omnia perrupi, vici, superau: video te nō
recta incedere via: Pontificatum accepisti: salu-
tem in discrimen adduxisti. — Quin tu quamprī-
mum hoc, quod te à vita æterna impedit, abiicis
& contemnis? Puerilia sunt ista oblectamenta
crede mihi, caput corona redimire. in purpura
torum numero sedere: magna circumdari turba
stipatorū: Ah nescis, quis demū verus honor sit:
Ille honoratus est, qui honores nouit contemne-
re. Si placet, Pontifex, ex me exemplum cape. —
Ego cum L^uoweci natus essem, cumq; in illa ciui-
tate possem crescere, & ad officium etiam supre-
mum consulatus peruenire, tamen hoc totum
spreui, abieci, conculcaui: in Litwaniā me
contuli, & pauperem vitam secutus, tantum ha-
beo, quantum assentando consequi potui: & ni-
hilominus, vt ait ille, cum nihil mihi sit, nihil des-
sit tamen: omnia habeo, nec quidquam habeo. —

Quorsum

Quorsum tibi isti thesauri? quorsum tanti sumi
ptus quos facis, multo rectius faceres, si hæc
omnia in pios vsus conuerteres, Quam multi
sunt ministri, qui vxores suas pro dignitate ear
rum vestire non possunt, neq; filias iam nobiles
vt vellent nuptum collocare. Istis omnibus in
commodis hoc vnicum esset remedium, si tu
pauperem vitam complexus, quæ nunc habes, ea
omnia vtēda nobis relinquis. Hæc & alia Volane,
si diceres, vereor vt persuadere posses, magis
illud metuendū esset, ne mercedis loco, litera illa
longa efficiaris: quod ego tamē non cupio: neq;
enim tam hostiliter à te dissideo, vt tantum tibi
malum, præsertim iam seni, accersi velim. Ver
rum tamen tu à malicia non desistis, & vndecunq;
potes inuidiam clero cōflare conaris. Dicis enim,
si quādo Reipub. tempora exigant, non posse ab
Ecclesiastico ordine impetrari, vt patriæ opitu
lari velit. Certè Volane, si quoties mentiris, dens
tibi vnus excideret, iam nullū omnino haberes.
Quid agis? non potest ab Ecclesiasticis extorque
ri, vt in bellum conferant aliquid. Ecquando
hoc accidit Volane? Doce si potes. At ego con
tra ostendam, ex omni memoria temporum, Ec
clesiastici ordinis charitatem in patriam testatā
semper fuisse. Mitto iam illa nimis antiqua, ea

Nempe I.

Crom. lib. 23

Cromer loco
citato.

Crom. lib. 25

Crom. lib. 26

tantum commemorabo, quæ magis sunt nostris
vicina temporibus. An non Cazimiro ultimo,
apud nos regnante, cum ærario penitus exhau-
sto, miles vnde conscriberetur non esset, Ecclesia-
sticus ordo, dimidiū annuorum censuum, in sub-
sidium Reipu. contulit? Non rursus Regi octauā
partē reddituum in stipendiū eorū, qui militabāt
in Prussia concessit? Quid? Synodus Calissiensis
non eidē Casimiro, in maiore quidem Polonia vi-
cenūm grossorū, in minore vero senūm de pro-
uētū cuiusq; librę siue marcę argēti, subsidiū de-
creuit? Non idē Synodus Lencicien. fecit? cum
Sendiuoius Lezenicius Palatinus Siradiensis, &
Michael Lassocius præfectus Lencicien. ob eā rē,
ad clerum legati à Rege essent. Sed quid ego hæc
colligo: quasi vero hæc aut rara sint, aut cuiquam
ante, præter te inaudita. Dies me prius deficeret,
quā enumerare possem, quæ clerus pro patria sua
cupidissimè semper fecerit, immemor iniuriarū,
quas ab equestri ordine interdū accepisset. Nihil
opus est veteribus Volane, an non proximis
hisce temporibus, cum grauissimum & formido-
losissimū bellum à Turcarum Tyranno impen-
deret, Ecclesiastici homines sua sponte, certam
censuum suorum partem, in Reipub. subsidium
tam diu obtulerunt, quā diu illud bellum dur-
raret?.

raret? Sed tu ista nō vides Volane, neq; mirum;
 etenim mala mens, malus animus. — Ad calcem
 decurrit oratio, ita vt nihil iam restet, quod re-
 felli oporteat: nisi forte illud refutandum sit,
 quod tu ibi vel de Pio Secundo, vel de Syluestro,
 vel de similibus alijs, inscite nugatus es: quæ om-
 nia, quoniam tu verbo dixisti, verbo satis est
 negare. — Nunc confecto prælio, age Volane
 depositis inimicitjs, redeamus in gratiam. Si te
 non pro dignitate tua tractavi, fac illud tibi ve-
 niat in mentem; Qui dicit ea quæ vult, audiet quæ
 non vult: Æquum est certè, vt quod quisq; in-
 triuit, hoc etiam exedat. — An putasti nos tam
 omisos fore, vt in Sanctissimæ religionis nostræ;
 (pro qua nemo bonus mortem dubitat oppete-
 re) contemptu & ludibrio, taceamus, & tanquã
 degeneres filij, matris nostræ contumeliam, non
 pertinere ad nos arbitremur? Ecclesiam tuam
 ego errare dicam, tu interim taceas: Papam ap-
 pellabo Antichristum, ne irascaris: Sacerdotes
 vocabo ganeones, vide vt æquo animo feras:
 Quem ad finem tandem ista nostra continebit se-
 patientia? Quamdiu nos iste vester furor eludet?
 Parum proficimus modestia, eia experiamur, qd
 iusta possit indignatio. — Pungis, repungendum
 est: ingeris contumelias, regerendum: mentiris,

F. ij. falsitatis

falsitatis conuincendum. Hanc viam tenere certum est deinceps. Quæ si tibi dura videtur, tuum est Volane prouidere, ne nos ad illam decurrere sit necesse. Satis latum habes campum eloquentiæ ostentandæ: relinque Pontificem, missos fac alios, quiesce deniq; ne qui sis, quiue esse debeas, velis nōlis audire cogaris. Nam me quidem inuitum planè perpulisti, vt rudimentum dictationis meæ in te deponerem: quod tamen non mihi adhuc laboriosū fuit, vereorq; ne si molestus esse cœperis, me ex tyrone acrem deinceps & veteranum efficias. Sed non vsquequaq; mihi decorū videtur, me iuuenē cum sene iam capulari depugnare. Quid mihi laudis inde, si te confecero, qui mortem in dies expectas? Quare collige te aliquādo Volane, & ætatem tuam respice: Satis iam laudis apud tuos habes, vt non tam accessio quærenda, quam offensio pertimescenda sit: mecum quidem, vt vis; cum veritate & Ecclesia redi in gratiam, & illud seuerum Dei iudiciū, quod Pontifici inculcabas, tibi propone. Quod si tu in malitia persistes, si vt cœpisti, nos allatrabis, perficiam, vt te facti tui poeniteat, daboq; operam, vt quam voluptatē maledicendo capere soles, eam malè audiendo penitus amittas.

IN VOLANVM
IOANNIS BOBOLA.

Cum mala sit per te ceruiffa cocta Volane,
Inuito quamuis, tota bibenda tibi est.

SIMONIS NICLEVICII

Ut scribas aliquid, capis æra, Volane quotannis
A Calvinologis, Zuinglicolisq; tuis,
Nos ratus empturos tua forte silentia duplo,
Papæ inhias loculis, eloquioq; tonas:
Ut minus æs dederit, tam re, quam nomine, **CLEMENS,**
Donabit prunis te tamen, atq; pyris.

IOANNIS SAPIEHA

Mortua cur mittis Volane volumina Papæ:
Plus tua canities voxq; moueret eum:
I Romam sodcs, coramq; ediffere: non vult:
Nimirum corio, bos timet iste suo.

GEORGII DABRRQWSKI.

Cornua iam toties fuerant excussa Volano
Semibouique anui, semianuiq; boui
Prò in Pontificem nimis impetuosa recrefcunt
Alcides alter, ne furat, vrat hydram.

NICOLAI MIEKICKI.

Volanus, diuos ne nos in vota vocemus
Neue illos statuis deueneremur, auer,

Ne pass

Ne passi monumenta Dei recolamus, ad aras
Enthea dum sacris gens operatur, auet :
Error inest, ait Hem, sapit hęc Volanus vti bos :
Quid: num velle queat deteriora Sathan :

LAURENTII RINKOWSKI.

Trux Papę mastix, furiata mente, Lutherus
Esse nefas docuit, bella mouere Getis :
Volanus Proauone suo contraria sentit :
In Turcas Papę cur ciet arma stylo ?

RAPHAELIS WASILEWICZ

Res noua; quę & larices cereales, munere Bacchi
Post habito, Romę vult sibi Papa coqui :
Hi c Volane stylum potes exercere tumentem ;
Instrue Romanum fiat vt iste liquor.
De lectas fruges qui maceret ante molarę,
Misceri lupulum qua decet arte, doce :
Quam genitor docuit, melius profiteberis artem
Futilis in reliquis, hac bonus autor eris.

IN WOLANOWO VOLANI LVCAE KRASNODOMSKI

Vrbis excelsis proprio de nomine nomen,
Inignes legimus sæpe dedisse viros;
Romulus est testis Romanę conditor vrbs,
Testis Alexander, testis & Antiochus.
Volani Wolanowo de nomine dictum est:
Dicendum potius sed piwanowo fuit.

OLAI LAURENTII GOTHI

A boue cognomen renuis Volane & Rolanus
Sis, Rola, Sauromatis est, nisi fallor, ager.

24

Pone stylum, sitiram cape, plus quadrat ista : recusas
Magnus es ardilio : glane vocere Gothis,

NICOLAI CZERNICKI.

Tunc Evangelicus Volane : tibi est pater EVAN
Ductor es Evantum : Christi in ouile duxor

VDALRICI MILONII SVEVI.

Nixus athleta Milo diducere fissile robur,
Compressis manibus, præda fit ipse lupis :
Christifera abs te nunc Volane, reuellitur Arbos :
Vel sine, vel Stygijs par eris esca lupis.

IOANNIS OKVROWSKI.

Bos insulse caue : Papam si carpere pergas,
Ad sua te Lemures, dira macella trahent.

SAMVELIS BASE STOCHOLM.

INGRATIANYM GYMNICVM WILDENIYM VOLANICVM.

O vecors vetuli bouis vitelle,
Agrestis malè grate Gratiane,
Quisquis nominibus lates sub stis,
Verè γυνω honesti es, atq; fronte
Perfricta, ferulam vel æra versans,
Insulfos facis improboscq; versus,
Verè Wildenius dehinc vocandus:
Nam Wild Teutonicè ferus vocatur:
Nugax rabula quàm tuus Volanus,
Tam tu Gymnice barbarus Poeta es,
Gratis Pontificem lupum vocasti,
Sint nullæ tibi Gratiane grates,

O vecors

O vecors vetuli bouis vitelle,
Agrestis malè grate Gratiane.

ABRAHAMI WOYNA

Gymnice, nostra viden^t sit vt officiosa Camœna.
Das vnum, recinît carmina plura tibi.

ERRATA SIC CORRIGE.

- A. pag. 1. repræhendit Lege reprehēdit
C pag. 3. clementa, lege clementia
Fol. D pag. 1. post oporteat, adde potius
pag. 2. infirmus sit lege sit
pag. 3. eum coli, deme eum
E pag. 3. obfero, lege obsecro

BIBLIOTE. UNIV.



JAGELLONICA

1550

it

